

malum dedit Deus filiis hominum, ut occuparent se in ea.)

Summa cura & diligentia animum adhibui ut via quadam & ratione, non temerè & perturbatè investigarem & explorarem omnia quæ sub spatio hujus cœli ambitu geruntur. Quod quidem ad studium non temerè me absque Dei vocatione ingessi, ut potest quod est mortalibus à Deo imperatum, ut in hoc opere molestiæ & laboris pleno se occupent.

VER. 14. *Vidi omnia facta quæ sunt sub sole;*
quod ecce ista omnia sunt vanitas & afflictio-
spiritus.

Consideravi igitur omnia Dei opera quæ sub hoc sole à Deo creata sunt, ut illorum causas & effecta cognoscerem: Ecce autem (dictu penè incredibile) tantum abest ut solidam inde fœlicitatem consecutus sim, ut contrà ad eam constituendam omnia hæc vana esse compererim: addo etiam, cruciatum & animi carnificinam peperisse.

VER. 15. *Perversum non posse corrigi, & de-*
fectum non posse in numerum venire.

Cùm enim in hominis vita multa perversa & tortuosa sint, & infinita desiderantur in quibus pietas & probitas vitæ versatur: hac tamen rerum naturalium scientia, neque perversa